



SACRA CONGREGATIO

DE RELIGIOSIS

Prot.: N° 215/59

Romae, die 28 maii 1965.

Reverendissime ac Excellentissime Domine,

Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, mature perpensis omnibus expositis circa erectionem in Societatem canonicam juris dioecesani ad normam tituli XVII libri II Codicis Juris Canonici, cujusdam Associationis sub titulo v. " MISSION OUVRIERE SAINTS PIERRE ET PAUL " jam in dioecesi Aquensi in Gallia existentis, dum vota laetans exprimit ut nova fundatio, quae ex amore Christi Opificis profluit, in dies augeatur ad Dei caritatem paternam illustrandam, quae sequuntur rescripsit:

- 1) - Ex parte hujus Sacrae Congregationis NIHIL OBSTAT quominus, juxta titulum XVII libri II Codicis Juris Canonici, Excellentia Tua ad canonicam dictae Associationis erectionem in Societatem juris dioecesani procedere tute valeat.
- 2) - Erectione rite peracta, omnes Sodales consecrationem in Associatione emissam, in erecta Societate renovent.
Tempus praecedentis consecrationis ad omnes canonicos effectus, illud computandum est, quod Sodalis in Associatione jam compleverit.
- 3) - Domus seu Coetus jam existentes, ipso facto erectionis canonicae Societatis, membra ipsius evadunt.
- 4) - Decreto erectionis in Societatem canonicam formaliter edito, Excellentia Tua ad hanc Sacram Congregationem exemplar transmittere ne omittat.

Cuncta fausta prosperaque Excellentiae Tuae Reverendissimae adprecans,

addictissimum me profiteor,

+ Paulus Philippe - Card. Antoninetti
a. s. s.

Rev. mo ac Exc. mo Domine
Carlo DE PROVENCERES
Ordinario Aquensi in Gallia

percepit.